



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 68. Epistolæ Gregorii ad Benedictum, ejusque Cardinales, Principes,  
Episcopos atque Academias.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

Marchiæ Anconitanæ Legatum, tandem Sæcul. XV.  
 vero ob eximia in Ecclesiam merita di- A.C. 1406.  
 gnitate Cardinalitia decoravit, qua etiam  
 ab Innocentio VII anno salutis millesimo  
 quadringentesimo quinto donatus præ-  
 fulsit. Ingenii sui aciem studio inde-  
 fesso adeo feliciter exacuit, ut in Theo-  
 logicis disciplinis peritissimus audiret, nec  
 minus ob morum integritatem com-  
 mendandus; nil officiorum ac dignita-  
 tum, quibus continuo fungebatur, peri-  
 culis candorem vitae suæ obfuscantibus.  
 Indolis erat admodum mitis, & ad de-  
 bitæ moderationis regulas compositæ,  
 atque antequam ad supremum Pontifi-  
 catus apicem ascenderet, ab omni ambi-  
 tionis affectu valde alienus videbatur.  
 Cardinales harum virtutum splendore  
 pellecti Gregorium ad supremum Pontifi-  
 catum evexerunt, nequaquam dubitan-  
 tes, quin quounque demum tempore, si  
 id pacis bonum exigeret, eundem reli-  
 cturus, & ad revocandam Ecclesiæ unio-  
 nem sine dolo collobaraturus esset.

## §. LXVIII.

*Epistolæ Gregorii ad Benedictum,  
 ejusque Cardinales, Principes, Epis-  
 copos, & Academias.*

*Niem. in ne-  
 more unionis  
 pag. 196.  
 tom. I. c. I.*

Gregorius non aliter, ac ceteri Cardi-  
 nales pacis negotium omnibus viri-  
 bus

F 4

bus

Sæcul. XV. bus procurare ante suam electionem  
A. C. 1406. promiserat, & postea quoque ratihabuit;  
ut vero exequendæ suæ sponsionis prima  
jaceret fundamenta, ante ipsam suam in-  
augurationem ad Benedictum tunc tem-  
poris Massiliæ commorantem literas de-  
dit, quibus communicato animi sui con-  
filio declaravit, se nullatenus tergiversa-  
tionibus, aut fallacibus artificiis Eccle-  
siam decepturum, quinimo, quo validiora  
juxta ac certiora sua essent jura, tan-  
to laudabilius, atque securius sibi videri,  
si pro redintegranda Christianæ Reipubli-  
cæ concordia cunctis hisce cederet juri-  
bus; hinc paratissimum fese esse ad re-  
muntiandum Papatui, dummodo pariter  
æmulus prætenso juri se abdicare volue-  
rit; in hoc secuturum se exemplum ve-  
ræ illius Matris, quæ proprium filium a-  
mittere, quam in partes secari præoptas-  
set, quamvis illum suum esse, certissi-  
me sciret. Hæc Epistola Romæ die un-  
decima Decembris anno Domini millesimo  
quadrageentesimo sexto scripta, a  
quodam fratre Laico Ordinis S. Dominici  
ad Benedictum perlata est. Dedit quo-  
que literas iisdem ferme sententiis con-  
ceptas ad Cardinales Benedicti, necnon  
Encyclicas ad omnes Principes, Præla-  
tos, atque Universitates, contestans, se  
pro bono pacis Papatu libentissime cessa-  
rum, simulque hortatus, ut & ipsi, quan-  
tum

tum potentia, atque auctoritate valerent, <sup>Sæcul.</sup> XV.  
ad tam sanctum, tamque necessarium o- A. C. 1407.  
pus concurrerent.

§. LXIX.

*Subtractionis Decretum ab Ecclesia  
Gallicana editum & a Rege  
confirmatum.*

Cum interea Gregorius ejusmodi literis ad Ecclesiæ unionem, quam tanto-pere desiderare credebatur, universum excitasset orbem, die tertia Januarii anno millesimo quadringentesimo septimo Nationali Gallorum Concilio exhibentur Articuli ab Universitate Parisiensi in caussa cessionis concepti. In illis ergo decretum fuit, quemlibet Pontificem, quoties-cunque a Cardinalibus requisitus esset, ad amplectendam abdicationis viam teneri, si vero cedere disertis verbis recusaret, eundem tanquam perjurum, Deo & hominibus perfidum, de fide ac Religione perperam sentientem habendum esse, atque ut talem hæresis suspicionem incurrere, ejusdem incusari, & velut hæreticum declarari posse. Hosce articulos Universitas ad sex reducebat capita, ex quorum summa Ecclesia Gallicana Decretum condidit, quod Rex die septima Januarii ejusdem anni edicto

F 5

con-